Arm. 34, 2 fo 23a 1331 Febr. 19
Erdmann 25 n 58

In[1] nomine domini amen. Nos Azo civitatis et comitatus Mediolani gubernator et rector, Johannes Mediolanensis ecclesie ordinarius, Lodovisius, Luchinus fratres dicti Johannis et Vercellinus omnes de Vicecomitibus audito et sub certis scripturis autenticis percepto, quod coram sanctissimo in Christo patre et domino nostro domino Johanne XXII provisione divina summo pontifice per sapientes viros dominos Zonfredum de Castana Moduecciensis ecclesie canonicum, Mediolanensis diocesis et Leonem de Dinano iuris peritum, ambaxiatores et procuratores nostros nonnulla nomine nostro sunt confessata promissa iurata obligata excusata et protestata, que omnia et singula consideravimus diligenter ~~et~~ at[a] ex certa sciencia ratificamus et approbamus, rata grata et firma habemus omnia et singula, que per ipsos nostros ambaxiatores nuncios et procuratores coram supradicto domino papa dicta affirmata confessata protestata excusata promissa obligata et iurata existunt[a], tam circa Ludovicum quondam ducem Bavarie dampnatum et Petrum de Corbario olim dampnatum quam circa eorum sequaces ab ecclesia denotatos seu denotandos et quoscumque alios quousque ad gremium ecclesie redeant et mandatis apostolicis se disponant ipsorumque adiutorium consilium et favorem quam circa cardinalatus et legationis a me, Johanne, a Petro predicto olim apostatico, seu vicariatus civitatis et districtus

a) getilgtes et davor.

1) Überschrift: Item nobilium de Mediolano .s. ratificatio.

Mediolani a me Azone, a Ludovico predicto dampnato receptionem et ipsorum renunciationem; necnon fidei articulorum divinitatis humanitatis et resurrectionis et fidelitatis semper et perpetuo credite et credende servate et servande affirmationem, quam circa quecumque

23b alia prout in procuratorio per dominum Beneventutum de Nanxibenis de Bononia) publicum notarium confecta et in publico consistorio publicato et in capitulorum per

Iuracorp ipsos[2] iuratorum[2] rotulo plenius continetur et specialiter super recipiendis et curialiter tranctandis nunciis et gentibus ecclesie transeuntibus ipsisque defendendis et protegendis dummodo nobis scientibus tranceant sicut alii.

Et de compellendo illos qui officia vel beneficia a Petro de Corbaria supradicto olim dampnato receperunt ad ipsa officia et beneficia omni effectu dimittendo, necnon ad permittendum omnes et singulos clericos et laycos, qui pro sancta matre ecclesia de dicta civitate et comitatu exiticii existunt reintrare civitatem et comitatum preditos et gaudere locis suis nisi cum Bavaro fuerint in obsidione supra civitatem Mediolani et comitatum; et generaliter omnes clericos et laycos exiticios de dicta civitate gaudere permittemus bonis suis[a] iuribus et iurisdictionibus nec impedientibus dabimus auxilium consilium vel favorem, ipsisque permittemus reintrare preditos civitatem et comitatum nisi pro forestis manifestis et iustis banditi existant et propter inimiciciam particularem quam nobiscum

a) an dem Wort ist verbessert

habeREnt aut rebellionem manifestam contra
ipsam civitatem ~~preter similiter~~ illos de la Turre, — *pt. t. ? preuter / s-Strich etwas weit herunter!*
quos propter inimiciciam capitalem, quam
cum eis habemus reintrare dictam civitatem et
comitatum permittere non promittimus.
Ob reverenciam tamen sancte matris ecclesie
ipsos bonis suis gaudere permittemus nec impedientibus
auxilium vel favorem dabimus dummodo ad
mandat(a) comunis dictorum civitatis et comitatus
Mediolani stent nec nobis aut gentibus civitatis
et comitatus Mediolani dampna inferant aut
guerram moveant, nisi deus et sanctitas
domini nostri predicti nos ad pacem cum ipsis
reducat; in quo casu poterunt, si eis placebit
civitatem et comitatum predictos reintrare.

Item promittimus et iuramus, quod nulli obediemus nec adherebimus ut imperatori seu administratori imperii nisi ille primitus fuerit per sedem apostolicam approbatus. Item quod nos non receptabimus in civitate et comitatu vel districtu predictis Ludovicum prefatum vel eius stipendiarios nec aliquos alios, qui venirent sub nomine Romanorum imperatoris[a] vel regis contra mandata ecclesie et domini summi pontificis nec pro eis vel aliquo eorum mittemus nec per nos vel alium publice vel occulte eis vel alicui eorum prestabimus vel dabimus consilium auxilium vel favorem, set erimus stabimus et perseverabimus in rebellione ipsius Ludovici et stipendiariorum suorum et aliorum, qui venirent sub nomine Romanorum imperatoris vel regis contra mandata sancte matris ecclesie et dicti domini summi[b] pontificis.

Actum in Brolio archiepiscopatus Mediolan(i)ensis anno currente M CCC XXXI Indictione XIV die Martis XIX mensis Februarii. Presentibus predictis dominis Benepenu-

a) davor getilgtes vel

b) davor getilgtes Wort

to de Nanxibenis de Bonon(ia) Zamfredo de Castana domino Jacobino vicecomite Mediolan(ensis) ecclesie, Ordinario Franzolo de domo Franzola, Corono et Jacobino[a] dicto Rubeo de Castan(n)a omnibus testibus vocatis notis et rogatis; et ad maioris roboris firmitatem predicti domini de Vicecomitibus iusserunt et fecerunt hoc presens instrumentum suorum sigillorum appensionem muniri. Ego Petrinus filius Bonihominis de Faxolinis notarius publicus precepto dictorum dominorum hanc cartam tradidi et scripsi et me subscripsi.

a) von 'vicecomite ... Jacobino' mit Verweisungszeichen unten auf der Seite nachgetragen.